

num vocat: *Beza pulverem*: Tertullianus *limacem* lib. de resurr. carn. quasi materiam corporis humani designet. Sed originem & qualitates eius potius spectat, pro eo, quod dicitur *ἡμίθεος*, cui opponitur *ἐσθγιός*. Alibi non reperitur hoc epitheton. Est igitur Paulinum proprium hoc loco ter repetitum. Origini vocis non respondet significatio. *Χον* enim, unde videtur factum, significat *libamen* patera fustum super mortuorum tumulis: nisi Paulus fortè respicit ad pateram materiam terream: quia vas erat de argilla formatum.

SECUNDUS HOMO, DOMINUS E COELO) Christum vocat secundum hominem, ut prius Adam posteriorem. Homo enim hebr. est *אדם*. Lectio videtur variare. Vetus omisso *ὁ κύριος*, supponit *ἐσθγιός*: *secundus homo è caelo celestis*. Sic etiam Ambrosius & Hieronymus: quia antithesis sic plena esset. *Beza* tamen confirmat omnia Græca exemplaria sic legere, *ὁ κύριος ἐξ ἐσθγιός*. Unde evidens est, apostolum non agere de materia corporis, sed de origine & dignitate personæ. Neq; enim cum scriptura sacra & cum fide Christiana convenit opinio hæreticorum: qui hinc conficiebant, è cœlesti materia corpus Christi fuisse formatum; postea miraculose in uterum virginis illapsum, unde ceu per canalem nasceretur. Sic enim non esset semen Abraham, filius Davidis, fructus ventris Mariæ, frater noster: nec esset servator noster: quia moriendo non satisfacisset pro peccatis nostris: cum ex ordine justitiæ, D hominem, qui peccaverat, mori pro peccato necesse fuerit. *Anabaptista* in colloquio Francotalensi anno 1571. eundem errorem tuentes abutebantur verbis apost. Hebr. 10. 5. ex Psal. 40. 7: *Sacrificium & oblationem noluisti: corpus verò adaptasti mihi*. An, inquebant, corpus suum *λόγος* de substantia virginis assumpserit, ignoramus. Dicitur: *corpus adaptasti mihi*: Deus novit, quale id sit.

A rit corpus. Idem de corporibus resurrectoris dicebant: nunc quidem esse animalia & terrena: tunc verò Deum daturum corpora spiritualia, cœlestia, haud dubiè non eadem, sed alia, nova, qualia volet. Atqui id non omninò verum. Corpora enim Deus daturus est alia, non substantia, sed qualitatibus & ornatu. Alioqui quomodo corpora resurgerent? Oportet enim resurgere, quod cecidit. Secus non esset resuscitatio, sed nova creatio futura. Neque rectè crederemus resurrectionem huius carnis, si eadè non resurget. Nec ulla esset nostra consolatio, si hæc corpora ibunt in nihilum, alia succedent non nostra. Neque enim nos resurgeremus, sed alij. Nec esset, quòd impij metuerent pœnas corporum suorum, si quidem ea non resurgent. Atqui oportet omnes nos sisti ad Christi tribunal: ut accipiamus digna factis nostris in corporibus nostris, &c. Refellit etiam Job illam impietatem, cap. 19. *Ex carne mea videbo Dominum*. Quomodo verò, C inquis, Christus homo de cœlo: si corpore humano de cœlo nō descendit? Nempe divinitate sua, qua in cœlo manens descendit de cœlo, non locali motu, sed assumptione carnis humanæ in virginis utero. Et est dictum per tropum *ἀννοστήσεως*: quia proprium divinitatis tribuitur humanitati in concreto, propter unionem. Sicut enim dicit ipse Ioh. 3. *filium hominis descendisse de cœlo, & esse in cœlo tunc, quando Nicodemo loquebatur*; non utique carne, sed divinitate: sic & hîc, D Christus homo dicitur Dominus de cœlo, non de carne sed divinitate. Est quidem Dominus & redemptor noster etiam carne: verum id non spectat nunc apostolus: sed ad originem eius digitum intendit.

48. QUALIS TERRENUS ILLE, TALES) Hęc est argumeti propositio. Afferit igitur aperte, utrūq; Adam in suos, quos procreavit, qualitates suas diffundere: ut tales sint, quales ipsi existunt. Cuius ratio supra

2. Cor. 5. 10.

13.

supra